

Lech Bobiatyński

De hymno "Ad gaudium" Schilleri Beethovenique

Collectanea Philologica 4, 211-218

2002

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Lech BOBIATYŃSKI
(Varsovia, Polonia)

DE HYMNO AD GAUDIUM SCHILLERI BEETHOVENIQUE

Si ausus sum, Philologorum Polonorum Societatis Participes Praestantissimi, linguae Cultores Fautoresque, de Europae Confoederatae Hymno pauca dicere, constitui haec non vanae eloquentiae gratia, sed ut orbis terrarum civis inter Graecorum et Romanorum humanitatis haeredes sermone communi de communi re praedicem.

Si enim huic Societati Europaeae inituris scire nobis necesse est, quas fines ac officia, quas virtutes ac exempla ille hymnus nobis participibus proposuerit, quae humanitatis semina et tradita antiquitus bona protulerit, non alienum esse videtur, Schilleri Beethovenique hymnum accuratissime interpretari.

Illud poetae Teutonici enim carmen, vernacule conscriptum, non tantum lingua communi concinendum, verum communitatis lingua intelligendum, ut vernacularum linguarum limina traditione communi superet.

Hymni translatio

Hymnum Europaeum Genovefa Immè, illa mulier doctissima oratione Latina et Ephemeridae *MAS* editione praeclarissima¹, Europaeorum suffragiorum die², hoc modo transtulit³:

¹ Quae Ephemeridam Latinam sub titulo *MAS*, („Memento Audere Semper”), Commentarii Latini sermone componendi adolescentibus conscribentibus, Genovefa Immè in Antonini memoria, moderante. (*MAS* – Immè, 21 boulevard Sarrailh, F-64000 PAU (France), praeclare edidit.

² Anno. D. MCMLXXXIX, die XVIIo mensis Iunii.

³ Ad comparandum hanc Schilleri carminis partem adferimus.

G.Immè translatio	Schilleri carmen	Collatio locorum ⁴
Laetitia divina lux Elysiis oriens nobis sociatis est dux ad hoc regnum enitens. Quae divisae fuere gentes, tu fecisti unanimas, qua pandis alas ingentes, regnat iam fraternitas.	Freude, schöner Götterfunken, Tochter aus Elysium! Wir betreten feuertrunken, Himmlische, dein Heiligtum. Deine Zauber binden wieder, was die Mode streng geteilt: Alle Menschen werden Brüder, wo dein sanfter Flügel weilt.	lux # scincilla (Funke); 0 – pulchra 0 – filia; nobis sociatis est dux # nos flamma hausta intramus; hoc regnum enitens # coelum, delubrum tuum; 0 – venustates tuae iterum; coniungunt # unanimas fecisti, 0 – novitas, mos novissimus; frater- nitas regnat # omnes homines frat- res fiunt; ingentes alas pandis # ala tua lenis (mollis) breviter moratur.
Fraternitatem colamus, Mundo demus osculum et hominibus condamus pacificum saeculum! ⁵	Seid umschlungen, Millionen! Diesen Kuß der ganzen Welt (Brüder, überm Sternenzelt Muß ein lieber Vater wohnen.) ⁶	fraternitatem colamus # amplecti este, decies centena millia (homi- num) 0 – cuncto (mundo) 0 – fratres, super stellas patrem bonum habitare necesse est.

Addidit femina doctissima strophas tres de gentibus, tunc Societati quae intererant. Quae tamen in tempora nostra non satis concinne cadere videntur⁷.

Comparemus ergo Schilleri carminis et Genovefae Immè translationis res, argumenta, virtutes, affectus et tenorem:

Iam primo obtutu translatio non auctoris versum, sed ad conversionem Francogallicam⁸ spectat et Europae societatem in animo habuit, ut eius unanimitatem laudaret. Simplicior ergo versus, gravior, affectibus atque dubitatione caret. Gaudii dea antiqua, Elysi filia pulchra, non apparet ut Promethei scintilla, quae mox pectoribus hominum inflammatis eorum corda sursum ad delubrum suum caeleste erigit⁹ et efficit, ut laboribus Herculeis caelum intrent, sed ut lux oriens (scil. sol aut Aurora), gentibus coniunctis dux, quae ad anonymum „regnum enitens” ducit. Iam satis apparet Schilleri imagines interpretis descriptione simplici reddi, quae incerta et quae continue fieri videntur, verbis certis et finitis transferri. Evanuit omnis religiosus tenor, omnis divina initiatio, opus omne laboriosum, strenua per ardua ad astra caeli appetitio. Gaudii divini volatus subtilissimus, eiusque alae mollis aura, venustas, quae hominum animos rursus coniungit, quaeque novitatis vanae appetitum et commodi cupiditatem evincit, mutantur in unanimitatem et fraternitatem certam, quae ingentium alarum potentia effectae sunt. Fraternitas iam regnat, non alae inflatu oriri videtur. Ad omnes gentes

⁴ Symbola notarum collationis (translationis cum textu originali): 0 – desideratur vocabulum, # – mutatio notionis.

⁵ In Doctoris C. Eichenseeri „Voce Latina” paene a.D. MCMXC publicatum.

⁶ Hanc partem G. Immè consulto, ut puto, omittit.

⁷ Postquam nomina gentium nominaverit, hoc modo profert: (1) (2) ... coniunctos/omnes certum est ducere/mores linguam usus cunctos/a communi genere: (3) Latina mater communis, Europaeos populos/Lacte cultuque tu nutris/sicut filios tuos! (*ibidem*, p. 409).

⁸ Concinnit enim verbis cum notatione musica in „Voce Latina” allatis.

⁹ Compara Horatii „Sublimi feriam sidera vertice” (C.I I, 36) vel Sallustii de humanae gentis ortu.

osculo complectendas advocatio descriptione „colamus” redditur. Mundi spem – omnium hominum Patrem in translatione desideramus. Qua re non potest fieri, quin Schilleri carminis versionem a Genovefa Immè factam, nisi ut primam, nimis laudari liceat. Libertate enim caret, cuius notio in laetitiae et mundi naturae notione occulte latet¹⁰, ad quam recuperandam carminis sententia summa adhortatur.

Alia versio Latina

Denuo Franciscus Kopmeier¹¹ Hymni Europaei versionem Latinam Schilleri carmine addito protulit¹²:

Freude, schöner Götterfunken, Tochter aus Elysium!	Musa pulchra gaudiorum, Filia Elysia,	0 – scintilla divina (Götterfunken) Laetitia # Musa gaudiorum (Venus?)
Wir betreten feuertrunken, Himmlische, dein Heiligtum.	Introimus sacrum tuum Ardentes laetitia.	0 – Caelestia (Himmlische)
Deine Zauber binden wieder, was die Mode streng geteilt:	Venustate tua iunges, More quae sunt discissa:	feliciter et venuste! fiunt-fient # sunt
Alle Menschen werden Brüder, wo dein sanfter Flügel weilt.	Cuncti homines sunt fratres Leni tua tutela.	0 – ala moratur ala # tutela.

Scintilla divina omissa interpretes laetitiae notionem multiplicavit (Musa gaudiorum /Venus?/; ardentes laetitia). Item inflammandi transitionem, i. e. actionem inflammandi non respicit, qua dea – scintilla animos incendit.

Si enim deest gaudii scintilla, solum laetitiae ardorem adesse oportet. Etiam si tenorem religiosum Fridericus splendide refingat, caelestia – templi locus ab eo non laudatur, qua de causa itineris ardui spatium et gradus (ex Elysio per terram ad caelum) minime percipi potest. Statu perfecto interpres reddit, quae iterum atque iterum fieri oporteat (sunt # fient vel fiunt). Ubi omnia inspiratione divina et alae fluitantis motu fieri Schiller ante oculos ponit, ibi non imagine sed descriptione interpres utitur, e. c. verbo „tutela”, quae potius ad auctoritatem quam ad gaudii amoenitatem spectat. Cuius versionis Latinae¹³ virtutes certe laudentur, nam Schilleri carminis tenorem feliciter reddidisse videtur. Libertatis tamen notionem occultam non sacravit, quae odae insita esse non solus puto.

¹⁰ Primum enim titulum Fridericum Schillerum mutavisse tradunt *Ad Libertatem – Ad Gaudium* (an die Freiheit – an die Freude).

¹¹ Ex Goetheo Gymnasio Tremoniae (Dortmund).

¹² In Commentariis „Vox Latina” 1992, T. 28, Fasc. 110, p. 520 allatam (primum in „Mitteilungsblatt des Deutschen Altphilologenverbandes” (Bambergae) 3/1992, p. 108, editam).

¹³ Quae nimis „Epicurea” mihi videtur.

Fridericus Schiller, quo modo Laetitiae – Libertati odam dicaverit

Fridericus Schiller¹⁴, qui convictus militaris servitute iratus schola relicta profugit, drama suum, *Latrones (Räuber)*, quod ibi conscripserat Mannheimi exhibuit¹⁵.

Ibi Ode en *Ad Gaudium* anni MDCCLXXXV aestate ergo quattuor annos ante rerum publicarum conversionem Francogallicam, poeta composuit, ut amicorum societati, quae „Quinque sacra” („Heilige Fünf”) dicta est, cuique Chr. G. Körner poeta praefuit, hymnum praeberet. Quae in ephemerida „Thalia” quae nominabatur, cuius editor ipse erat, primo publicata est. Carmen ipsum in tris quattuor versuum strophas partitur, quorum quaeque tertia a choro exhibetur, quae pars octies iteratur. In chori parte semper ad caeli Patrem et populorum fortunam vertitur oratio.

Pars I: Gaudium dea, scintilla divina ex Elysio orta, hominum animos pneumatico igne penetrat, ut inflammati ad caelum, ubi eius delubra, ascendant. Venustate eius victos iterum atque iterum leni alae motu ad concordiam revocat. Chorus: Cuncta gens humana uno amoris osculo complectenda est, quam pietatem a Patre caelesti adiuvari speremus.

Pars II: Hoc igne caelesti homines pleni amicitiae, amoris et necessitatis vinculis coniunguntur et hoc modo gaudii circulus struitur et crescit. Qui tamen pectus ab his affectibus abalienavit, gentis humanae circulo excludatur. Chorus: Omnes Sympathiae¹⁶ oboediant, quae iter ad astra sternit, ubi deus ignotus regit.

Pars III: Laetitia omnia animalia sine mali aut boni discrimine a verme usque ad archangelum dulcedine penetrat, cuius genera usque sublimiora efficiuntur, e.g. vera amicitia et vini voluptas. Chorus: Si tam plurimi labimini et desperatis, deum super sidera praesentire opus est.

Pars IV: Gaudium ut vis movens naturam intrat eique inest. Terrarum orbis ut horologii machina laetitiae motu regitur, illa mundum maximum viribus internis circumvolvit. Chorus: orbium caelestium exemplo quique viam vestram fortes et laeti sequamini!

¹⁴ 10 XI 1759 Marbachensi coenobio (Marbach), 9 V 1805 Wimarum (Weimar).

¹⁵ Anno 1782.

¹⁶ Sympathia – *Συμπάθεια* = consensus in affectibus; conscientia et coniunctio naturae: Cornelii Schrevelii *Lexicon manuale Graeco-Latinum et Latino-Graecum*, Londini MDCCCXXVI.

Pars V: Gaudium in veritatis speculo scrutatori doctissimo apparere solet, virum patientem virtute laetari iubet, fidelibus et resurrecturis illud ultimum erit. Chorus: Patiamini, ut a Deo praemia accipiatis!

Pars VI: Quisque miser laetari debet atque deis par fieri dignus sit, si ultione omni neglecta et eorum peccatis permissis oblitis rursus recte vivat. Chorus: venia data sibi vicissim ignoscite, dei iustitia freti!

Pars VII: Cuncti ut convivales genium (mulieres naturaliter Iunonam) vino placare debent, nam vel homicidas et anthropophagos vinum mitiores reddit. Surgamus et propinamus! Chorus: Spiritui bono haec propinatio offerenda!

Pars VIII: Optemus in adversis rebus fortitudinem, hominibus integris auxilium et praesidium, iuri iurando aeternitatem, penes reges virilem dignitatem, bene merentibus coronas suas, mendacibus autem pernicium. Chorus: Artius amicorum circulo coniungamini, sacramentum dicite, ut hoc ius iurandum servetis!

Pars IX (non semper addita): Salvi simus et liberi a tyrannorum catenis, praebeamus hominibus sceleratis indulgentiam, expetamus in mortis hora spem, veniam in iudicii die ultima. Etiam mortui revivere solent. Fratres, bibite et mihi assentite: peccatoribus omnibus ignoscatur et iam desit infernum (ut opinor): Chorus: idem: Artius: (Ius iurandum servato!)

Liceat nunc nobis elementa et locos computare, quibus antiquitus traditis poeta utitur:

I. Stoicorum naturae imaginem carmini inesse percepimus, ubi ignis pneumaticus omnia vi activa penetrat et ad meliora sua inspiratione divina permovet. Sunt enim quattuor paene regiones naturae, quae se sublimiora sequuntur¹⁷, cuius summa regio ignoto deo super sidera habitanti tribuitur, inferiorem caelum et delubra deorum antiquorum esse accipimus, terram, ubi paene infernum a poeta collocatur, quod „iam desit”, Elysium, obliviscendi locum, et verum abyssum, quo „nullius amoris homines” a poeta mittuntur (ut tyranni) – orbis terrarum extra amicorum circulum. Patientia et via sibi praedestinata viri fortes in virtute procedunt et di fiunt, quae via cuique patet. Sympathia coniungit gaudio omnes, qui vigent, praeter hostes gentis humanae, qui illi non oboediant. Gentium et omnium mortalium Fraternitatem etiam stoicorum (sc. et cynicorum) patrimonium esse, nemo est, qui dubitet.

¹⁷ Hoc est certe Pyramis entium Aristotelis.

II. In ipsa Gaudii, Laetitiae, voluptatis et dulcedinis vi notionem Epicuream certe recognoscimus, cuius gradus – ut apud Epicurum – a voluptate simplici ad summa cogitantis animi et animae religiosae sublimitatem perducti sunt. Amicitia inter Epicuri sodales culta hic in carmine non minime calet. Non deest tamen et Platonius Eros et cuncta Graecorum symposii traditio.

III. Bacchicum elementum sunt vites et vinum (aut cervisia) voluptati et oblivioni humanae traditum, quo mores barbarorum mitiores reddi solent et circulus artior efficitur. Circuli humani sodales terram paradysum facturos iurant, si et Stoicorum virtutem respectent et discordiae obliviscantur.

IV. Christianitatis Deum summum atque peccatorum oblivionem non tamen abesse certissimum est. Dei optimi maximique idea primo paulatim oritur, ut fine spem et salutem pluribus labentibus atque dubitantibus praebeat.

V. Parte in ultima rerum novarum indulgentiam apparere manifestum est, quae poetae tempore ad orbis terrarum renovationem spectat¹⁸.

Schilleri carmine summa bona et summa humanitatis exempla exponuntur.

Ludovici van Beethoven chorus et expressio musica

Ludovicus van Beethoven, cum carmen illud Schilleri anno MDCCXCIII¹⁹ Bonnae cognovisset per XXX annos carminis ideam arte musica exprimere conatus est. Tum ultimo paene vitae suo tempore carmine eo (in brevius coacto) symphoniam nonam finivit, in quam symphoniam primus vocem humanam inducere constituit. Nominatur enim illa alio modo: „Symphonia cum choro ad Schilleri Hymnum *Ad Gaudium*.”

Carmen aliter partitum est, duas bis quattuor versuum strophas sequitur ex alio Schilleri odae loco sumpta chori strophae.

„Ille miserrimus, gravius dolore affectus, cui terrarum orbis gaudium suum negaverit, ipse gaudium incitat, ut creator terrarum orbi hoc donet, quod sua ex miseria excudit, et meritis superbus hoc verbo profitetur, quod

¹⁸ Mundum meliorem efficiendi cupiditatem aequo modo Adami Mickiewicz ode *Ad Juventutem* exponit, cuius versio mihi quidem etiam Schilleri carmini praeponi possit. Hoc modo:
 Ruszaj, bryło, z posad świata,
 nowymi cię pchniemy tory,
 aż opleśniałej pozbywszy się kory,
 zielone przypomnisz lata.

Perge, globe, ex mundi situ
 in nova te impellemus itinera,
 ut abiecta cortice cariosa
 annorum viridum reminiscaris!

¹⁹ Post novem annos 1785–1793.

in omni anima heroica ut finis refulget per patientiam ad gaudium". Ita Romanus Roland²⁰ Beethoveni carminis memoratur.

Beethoveni symphoniae nonae partium trium sonitibus heroicis obticescentibus resonat vox ima:

„Sodales,
non ita canendum:
Sed permittite nobis
praecipere
dulciora ac iucundiora:
Gaudium! Gaudium!”

Translatio recens

Freude, schöner Götterfunken,
Tochter aus Elysium!
Wir betreten feuertrunken,
Himmlische, dein Heiligtum.
Deine Zauber binden wieder,
was die Mode streng geteilt:
Alle Menschen werden Brüder,
wo dein sanfter Flügel weilt.

(-)

Wem der große Wurf gelungen,
Eines Freundes Freund zu sein,
Wer ein holdes Weib errungen,
Mische seinen Jubel ein!
Ja – wer auch nur eine Seele
Sein nennt auf dem Erdenrund!
Und wer' s nie gekonnt, der stehle
Weinend sich aus diesem Bund!

Freude trinken alle Wesen
An den Brösten der Natur,
Alle Guten, alle Bösen
Folgen ihrer Rosenspur.
Küsse gab sie uns und Reben,
Einen Freund, geprüft im Tod,
Wollust ward dem Wurm gegeben,
Und der Cherub steht vor Gott.

(Vox ima solitaria)
Gaudium, deum scintilla,
nata pulchr/a/ Elysii!
Nos incens/i/ intramus illa
Sacra Caerula tui.
Blanditiis reconciliabis,
Quae distraxit novitas:
Vinculum fraternum dabis,
Ubi sancta volitas.

(Hoc loco apud Beethovenum omissum)
(serius concinendum)

(Quadricinium et chorus)
Cui benigna sors allata:
Est amicus socio,
Qui consorte gaudet grata,
Addat plausum gaudio!
Quisquis animam vel unam
Suam caram nominat.
At qui nescit hoc, fortunam
Plorans, coetum fugiat!

Gaudium, qui vivunt, bibunt
ex naturae pectore
probus, pravus, omnes ibunt
eius suav/i/ itinere.
Oscula sunt data, uvae,
Mort/e/ amicus firmior,
Vermi voluptates suae,
adest angelus Deo.

²⁰ 1866–1944.

Was den großen Ring bewohnt, Huldige der Sympathie! Zu den Sternen leitet sie, Wo der Unbekannte thronet.	(omissum) Cui domus orbis totus, homini consentiat, quod ad astra perducatur, ubi regnat ill/e/ ignotus.
Froh, wie seine Sonnen fliegen Durch des Himmels prächt'gen Plan, Wandert Brüder, Ihre Bahn, Freudig, wie ein Held zum Siegen.	(Vox ima et chorus) Laeti, sicut soles eius metientes aethera, Vestra cedite via fratres, ut victurus heros.
Seid umschlungen, Millionen! Diesen Kuß der ganzen Welt! Brüder, überm Sternenzelt muß ein lieber Vater wohnen!	Complectamini complures! toti mundo basia Fratres, super sidera esse pium patrem iures.
Ihr stürzt nieder, Millionen? Ahnest du den Schöpfer, Welt? Such ihn überm Sternenzelt. Über Sternen muß er wohnen.	Deicimini, complures? Esse creatorem scis? Supra quem quaesieris: esse super astra cures!
	(et caetera mixta) (Chorus, Quadricinium et chorus)
Rettung von Tyrannenketten, Großmut auch dem Bösewicht, Hoffnung auf dem Sterbebetten, Gnade auf dem Hochgericht: Auch die Toten sollen leben! Brüder, trinkt und stimmt ein: Allen Sündern soll vergeben, und die Hölle nicht mehr sein.	(omissum) Desint vincla tyrannorum perditis clementia, morienti spem, summorum iudiciorum venia! Vita mortuis reddatur! Idem quisque sentiat: his, qui errant, ignoscatur et infernum pereat.

Translatio Latina: *Lech Bobiatyński*

Si hac inspiratione divina inflati et inflammati, Auditores Cautissimi, mihi indulgeatis, qui in illa virtutis via parum progressus sim, in vobis, Philologorum Optimi, spem ponere audebo, sermone Latino, quo calletis, nos Europae Fraternitati ex sua parte Antiquae Hereditatis patrimonium commune cum gaudio et sympathia transmissuros esse.